M. D. JULIANIJ VIRI CLARISSIMI EXPOSITIO CIRCA FACTI SPECIEM MORBI, & CURÆ IN ILLUSTRISSIMUM...

Francesco Ferdinando Giuliani

Digitized by Google

26h. 15

M. D.

JULIANJ

VIRI CLARISSIMI

EXPOSITIO

Circa facti ſpeciem Morbi, & Curæ

Digitized by Google

Digitized by Google

M. D.

JULIANJ

VIRI CLARISSIMI

EXPOSITIO

Circa facti ſpeciem Morbi, & Curæ

In Illuſtriſſimum Comitem

CAROLUM WELSPERGIUM

CUM EPISTOLA

AD AUCTOREM,

Et quibuſdam Lucubrationibus in ipſam Expoſitionem.

FLORENTIÆ,

ANNO ÆRÆ VULGARIS CIↃIↃCCLII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

FRANCISCO
FERDINANDO JULIANIO

Medico pro S. C. R. Majeſtate Primario, & Caſtrenſi Œniponti.

S. P. D.

FELIX PERGER.

Si quando excitarer ſtudio tuendæ dignitatis tuæ, quam ſummam in Medicina faciunda, Reipublicæ bono comparaſti, Doctorum Virorum auctoritate, ea certe die permotus ſum, qua Brunopolim allatum fuerat ad humandum Cadaver defuncti Caroli ex perantiqua Illuſtriſſimorum & Excellentiſſimorum S. R. I. Comitum Welſpergicorum proſapia collatis Eccleſiæ huic pluribus beneficiis; Secreto enim quodam murmure voces quorumdam ex luctu domeſtico diſtinguebantur, muſſitabaturque inter hos, & alios, mortis cauſam ſciſcitantes, Medicorum ignoran-

rantia Ægrum obiiſſe, neve ullum eorum, qui Curæ incubuerant, morbi naturam attigiſſe: Seniorem quidem Medicum quemdam dicebant, mortem tutiſſima prognoſi prædixiſſe: Te vero Juliani mi, anxium doloribus ægrum curru vehi conſuluiſſe, morbumque magis acerbum reddidiſſe: Quibus autem hoc auribus perciperem, ipſemet, qui ſcis, quo Te diligam amore, comprehendere poteris. Quæ cum de Te concipere non valerem, de cætu muſſitantium eum, cujus Prudentia liquebat, quem antehac cognoveram, vocavi, atque ex eo poſtulaveram, quonamne morbo decubuiſſet Defunctus? Scias, reſpondit, periodicis Comitem, atque intermittentibus per intervalla unius, duorum, & plurium dierum doloribus in latere ſiniſtro, mox ſub coſtis ſæpius vexatum, efferveſcente dein morbo, ut ille terminorum medicorum ignarus explicabat, non ſine diſſenſione Medicorum circa morbi naturam, tranſactis tribus circiter morboſæ Conſtitutionis hebdomadis obiiſſe. Diſſectum equidem cadaver eſt, conſumpti pulmones, & Saccus aqua plenus in latere ſiniſtro detectus. Sed quid juvant hæc?

[*non*

(non ſine marore proruperat is) tegantur jam Medicorum errores Welſpergica humo; quippe jam ultra tercentos annos allatis aliunde etiam funeribus, uno eodemque tumulo, ipſo defunctorum terra aggere eorum corpora humantur. Falleris hercle! ſubjunxeram ego haud obſcure, amice! neque ſat profunde Medicorum amplius errores terra tegit; deteguntur hi cadaverum ipſis ſectionibus a ſolertibus Anatomicis factis, explicantur ab rationalibus Phyſicis: ac propterea poſt plures, eaſque conſtantes obſervationes, & varia experimenta repetita, non ſine objurgatione Medicos eſſe corrigendos cenſeo; ſigna morborum accurato examine deprompta, cauſa agritudinis deſumpta ideam morbi, Saniori Medico, qui ſciat humani corporis ſtructuram, non longius a vero perhibent. Hac locutus longius a turba, mecum ipſe cogitabam, colicis forte doloribus affectum Ægrum, quod curru eum vehi juxta celeberrimum Sydenhamum, Hippocratem Anglicum conſuluiſſes. Interea relatum eſt, diſſenſiones Medicorum ad injuriam uſque protractas, ut alter alteri ignorantiæ culpam imputaret, atque decretum ab Ex-

cel-

cellentia, Sapientiſſimis, & Illuſtriſſimis P. P. Repræſentanea Poteſtatis OEniponti, ut quiſque Medicorum Sententiam de morbo, cauſis, & cura dictam ſcriptis exponeret, qua ab delegata Facultate examinata Judicium quoque ferri poſſit. Expoſitionem jam tuam legi Vir Clariſſime; cæteras evolvere non poteram, cum deeſſent mihi eorum Scripta, cenſerem interea typis imprimenda fore quæ expoſuiſti, videtur mihi ſanè rei medicæ id conferre, ut caute hominum ſanitatem tueri vitamque conſervare tute doceamur. Vale.

BRUNOPOLI
IV. cal. Decemb. CIↃIↃCCLI.

EX

EXCELLENTIA

Illuſtriſſimi, ac Sapientiſſimi Domini Domini Gratioſiſſimi.

GRatioſiſſimis Excellentiæ, & Illuſtriſſimarum, ac Sapientiſſimarum Dominationum Veſtrarum Mandatis obediens, hiſtoriam morbi, ſeu ſpeciem facti non obſcure conſcriptam, & curationem, ſcilicet Medicamenta, quæ tum a me jam pridem, tum poſtremo ab aliis in Conſilium accitis, & Aſſiſtentibus Medicis, præſertim a Dominis Phyſico de Stebele, & Profeſſore de Payr, Illuſtriſſimo Domino Carolo ex Comitibus de Welſperg, pie in Domino Vigeſima tertia Februarii defuncto, ſuccedenbus ſibi invicem temporum intervallis præſcripta fuerunt, obſequentiſſime ſubmitto; atque hinc Eaſdem ſubmiſſiſſime rogare vellem, ut hæc mea, & aliorum ſimul, poſtquam exhibitæ fue-

rint, relationes Domino Profeſſori de Sterzinger tanquam a partium Studio alieno comitterentur ad diſquirendum, an prædictæ relationes circa facti ſpeciem primariis ſaltem circumſtantiis, quæ alias facile erui poterunt, rite conveniant? An Medicamenta ſive a me, ſive ab aliis in relationibus recenſita, quæque Illuſtriſſimo Patienti propinata ſunt, cum ſchædis, quas ego præ manibus teneo, a Pharmacopola rite vindicatis, concordent? An etiam ea, quæ de viſu & reperto ab aliis affirmantur, non diſſentiant ab illis fortaſſe, quæ ipſemet Dominus Profeſſor de Sterzinger ut Commiſſarius delegatus diligenter obſervavit, & litteris expoſuit? His itaque invicem inter ſe collatis, & ordine recenſitis ſuam mentem remoto omni favore, & odio pro virili ingenuitate aperire poterit; atque Excellentia, & Illuſtriſſimæ, ac Sapientiſſimæ Dominationes Veſtræ ulterius Sapientiſſimorum Medicorum Judicium intelligere dignabuntur. Interim ipſe ſumma cum veneratione perenno.

EXCELLENTIÆ,
Illuſtriſſimarum & Sapientiſſimarum
Dominationum Veſtrarum.

Demiſſiſſimus
Franciſcus Ferdinandus Giuliani.
Illu-

Digitized by Google

ILluſtriſſimus quidam Dominus Comes annorum circiter 37. perſpicacis ingenii, temperamenti ſanguinei, & gracilioris corporis habitus præter diverſos, & graves, quos ab adoleſcentia, & juventute ſuperaverat morbos, jam duodecim circiter ante annis incidit in hæmoptoem, ſeu ſputum ſanguinis, quod ſubſequentibus quatuor, aut quinque annis frequenter quidem, at facile, atque non immodica quantitate tam cum tuſſi, quam fere ſine tuſſi, domi, foriſque, & in itineribus, quibus nihilominus Illuſtrium more Longinquas Europæ Regiones peragravit, ſubſiſtentibus viribus ſuſtinuit.

Cum autem tunc temporis Lugdunum Batavorum veniſſet, curationi præclariſſimi viri Hermanni Boerhaave menſibus aliquot obtemperavit, qui non immerito vomicam pectoris ſuſpicatus eſt, atque ab ea Illuſtriſſimum Dominum Comitem, ſi debitum victus Regimen obſervaſſet, ſine periculo evaſurum prædicebat: quod ita evenit; quippe ceſſante ſenſim in dies excretione ſanguinis, ſucceſſit copioſum puris fætidi ſputum, quod plus, vel minus ſingulis diebus vel cum, vel fere ſine tuſſi pariter rejiciebat, ſanguinem vero poſtremis temporibus vix amplius, ſeu non niſi unum, aut alterum globulum quandoque grumoſum potius, quam fluidum, raro vero floridum expuebat. Præter hoc malum affectibus hypochondriacis, præcipue obſtructionibus hepatis, febribus quandoque continuis, quandoque intermittentibus, item

Rheumaticis defluxionibus, & arthriticis doloribus jam pridem obnoxius fuit, ita tamen, ut ultimis annis non gracilior, ſed carnoſior, & robuſtior in dies evaſerit. Præ cæteris vero non tam de prædicta pectorali tuſſi cum excretione puris, ſed etiam de ſtomachali, ut ipſe probe animadvertebat, & dicebat, cum præſertim ſedentariæ vitæ, & cibis plus juſto indulgeret, diverſis temporum intervallis conquerebatur; quæ cum magno conatu, & inflatione ſtomachi fiebat; ab hac vero, ſi flatus magna copia eructaret, atque utplurimum humorem viſcidum, album, interdum & acidum, aut amarum ejiceret, ſe affatim levatum ſentiebat.

Cum autem poſtremis menſibus Illuſtriſſimus Dominus Comes præter modum aſſiduis lucubrationibus, & lautioribus menſis indulſiſſet, de ingenti flatuum copia, inflatione ventriculi, & tuſſi, plus ſolito conqueri cæpit, accedentibus fere quotidie rigoribus vagis cum intermixto Calore, atque etiam febrilibus alterationibus, quæ ſuperveniente madore aliquo, aut quandoque copioſo ſudore noctu, vel matutinis horis ex integro ſolvebantur. Hinc ordinarii Medici curationi ſubmiſſus, cum diu non paucis uſus eſſet remediis, atque ipſi vomitorium ex pulvere ypecacuanhæ cum aliquot granis ſalis abſynthii præſcriberetur, meum quoque conſilium & aſſiſtentiam expopoſcit, cui imprimis prædictum vomitorium libenter innuebam, quod, cum una vice ſumpſiſſet, humorem viſcidum ter, quaterve facile rejiciens, hoc iterum poſt octiduum uſus eſt: Unde ſine labore ſecuta ſimiliter ejuſdem humoris viſcidi per vomitum rejectione ſe admodum levatum ſenſit, ita quidem, ut diebus aliquot de flatuoſa ſtomachi inflatione, & moleſto circa cartilaginem mucronatam conatu, non amplius conquereretur, ceſſantibus etiam affatim febrilibus alterationibus. Appetitus inſuper, & ſomnus integris fere noctibus ſine

ulla

ulla reſpirationis difficultate laudabiliter inſerviebat, ipſeque, conſiſtentibus viribus, ut ſanus cæteroquin bene valere videbatur, niſi quod denuo in aurora potiſſimum, raro autem noctu, interdum mane, interdum ad veſperam, aut poſt prandium tuſſi prædicta, ſeu ſtomachali, ſeu pectorali, licet hanc facile ſuſtineret, paucis exceptis diebus diverſimode afficeretur. Quapropter jam ab initio poſt aſſumptum vomitorium, ſcilicet ſub 12.a Jannuarii ſequentem decoctiunculam theiformem ex ſimplicibus ſtomachicis & pectoralibus præſcribebam.

℞: Herb. endiv.
cichor.
taraxic.
fumar.
ſcolopend.
hæder. terreſtr.
veron.
ſcabioſ.
ſalv. hort.
Pulmon. maculat. ana *drach.* ii. ſs.
Fl. borrag.
bugloſs.
violar.
hyperic. ana *drach.* ii.
bellid. min. *unc.* ſs.
Cort. limon. fine albo ſubtiliter inciſ. *drach.* vi.

M. f. ſpecies, *Wie ein ringen* The *alu--auch 2 mahlen in tag zu nehmen mit ein Wenig zücker.*

Alvus item ope quarumdam Pilularum, quas 4, aut quinque vicibus per intervalla ſumpſit, blande admodum ſeducta fuit, ſecedentibus (honos ſit auribus) excrementis admodum fætidis, viſcidis, flavis, cinereis, quan-

quandoque fluidioribus, quandoque ſolidioribus. Unde ſane non ſolum antiquum quoddam pectoris malum (licet certo Nomine baptizare nunquam præſumpſerim) ſed etiam vitium concoctionis, & præcipue bilis non obſcure dignoſci poterat. Idcirco pulveres ex abſorbentibus, ſeu oculis Cancrorum, additis aliquot granis ſalis abſynthii in uſum aliquoties revocati ſunt. Præterea Pilulæ quædam ſtomachicæ, & pectorales, cum Illuſtriſſimus Dominus Comes OEniponto prope diſceſſurus eſſet, ut has ſcilicet alibi ſumere poſſet, quanquam & hic OEniponti aliquot vicibus aſſumpſerit, ſequenti formula præſcriptæ fuerunt.

℞. Pulv. pectoral. reſolv. *drach.* vi.
Opobalſ. ver. *drach.* ii.
Extract. Rhab. ſimpl.
Card. B.
cent. min.
trifol. fibr.
Gumm. ammon. in granis pulveriſat. ana *drach.* i.

M. et. C. S. Q. eſſent. Cort. aurant. tartariſat. f. maſſa, e qua formentur pilulæ ad pondus circiter duorum gran. & cum pulvere liquirit. dentur ad ſcatul. ſigill. *brúſt- únd magen Pillen, Wovon 5- oder 7- einmahl alle morgen zú nehmen, aúch zú nachts, únd daraús den Kreüter* The *zú trincken.*

Cum autem Illuſtriſſimus Dominus Comes aliquoties Rhæda vectus domo egrederetur, neque ullo alio præter dictam tuſſim ſenſibili incomodo ſe gravatum ſentiret, die 30 Januarii poſt prandium acerbiſſimo dolore in latere ſiniſtro ſub ultimis coſtis ſpuriis in puncto quaſi contracto, & cum cruciatu veluti terebrante derepente correptus fuit. Sitis ſtatim, oris amarities, pul-

pulſus celerior, & ſolito frequentior aſſociabantur cum alvi ſuppreſſione, quin vel quidquam in latus ſiniſtrum decumbere poſſet. Unde mox ipſe accitus, perſpecta ſignorum ſyndrome dolorem iſtum nequaquam in morbum pectoris, ſed in Colicam flatuoſam — bilioſam procul dubio referre exiſtimavi, quam etiam vox rauca, quemadmodum in Colica bilioſa haud raro contingere ſolet, comitabatur. Hinc ſtatim clyſterem ex oleis cheirino, & chamomillæ, addito parum unguenti Carminativi, & ſachari Thomæi cum decoctione ſpecierum emollientium, & florum Chamomillæ præſcribebam, qui ſæpius primis tribus diebus injiciebatur, fomentum item, ſeu ſpongia in decoctione ſpecierum emollientium & florum Chamomillæ calide imbuta, & expreſſa parti dolenti tribus aut quatuor vicibus in die applicabatur, & deſuper unctio ex unguento pectorali, oleo amygdalarum, & de bryonia compoſito fiebat; Venam inſuper in brachio, cum alias Illuſtriſſimus Dominus Comes circa hoc tempus ſingulis annis miſſioni ſanguinis aſſuetus foret, ſecari juſſi ad uncias circiter decem; Sanguis autem parum ſeri, ſed in totum fere, craſſamentum in ſuperficie album, & gelatinoſum continebat. Interne oleum amygdalarum dulcium ſine igne recenter expreſſum ad uncias duas pro doſi tribus vicibus intra primos tres dies exhibitum fuit. Pro potu ordinario præter juſcula tenuja ſerum lactis deſtillatum cum aqua taraxaci, addito parum admodum ſyrupi de terebintho, & aquæ menthæ ad odorem, & ſaporem gratum, nec non aqua ex decoctione limaturæ Cornu Cervi, & raſuræ eboris deinceps concedebatur. His auxiliis prompte adhibitis, cum prædictus dolor, ſecedentibus abunde flavis & viſcidis excrementis tertia die ab ejus inſultu, ſeu ſecunda Februarii lenitus admodum fuiſſet, ſequentem mixturam ex Abſorbentibus, & mitioribus diaphoreticis cochleatim ſumendam præſcribebam. R.

Digitized by Google

℞. Aqua deſtillat. Card. B.
Scabioſ.
Scorzoner. ana *unc.* ii. ſs.
Cordial. temperat. *drach.* ii.
ſtib. diaphoret.
Oc. cancr. preparat. ana *drach.* i.
lapid. de goa. gr. viiii.
ſyrup. fl. tunic. *unc.* ſs.

M. f. mixtura, ſigill. *Löſl Weis nach berlcht zů nehmen.*

Præterea cum dolor die 6. - & 8. - affatim ceſſaverit, & ſomnus & appetitus laudabiliter rediiſſent, atque Illuſtriſſimus Dominus Comes in latus etiam ſiniſtrum, ut pridem ſolebat, decumbere poſſet. ad demulcendam tuſſim, de qua nihilominus, ut antea conquerebatur, ſequens gelatina præſcripta fuit.

℞. limatur. CC.
raſur. ebor. ana q. ſ.
Cum ſ. q. aq. com. f. gelatina
ad lib. i. in fine addendo
ſyrup. balſamic. *drach.* vi.
Confect. Alkerm. *drach.* ii.

M. *Löſl Weis zů nehmen in dertlish - brüehe.*

Interdum etiam pro flatibus, quos multum patiebatur, Eſſentiam Carminativam ad aliquot guttas cum juſculo carnis, vel decoctiuncula theiformi una, aut altera vice aſſumpſit.

Præ cæteris vero auxiliis, eo quod genium morbi hujus, ſeu affectus colici facile recrudeſcentis exiſtentibus præcipue flatibus, & excrementis flavis, cinereiſque animadverterem, importune admodum rogabam, ut Illuſtriſſimus Dominus Comes quotidie equitaret, quod

tamen

tamen hic facere renuens, ſe, quamprimum Stockachium in Sueviam venturus eſſet, præſtiturum fore promittebat. Interim die 11 - Februarii poſt meridiem Curru vectus ſe Halam contulit tam feliciter, ut nullum, vel minimum eundo, ac redeundo adverſæ valetudinis incomodum expertus fuerit; imo ſe optime valere tota illa die palam omnibus affirmabat. Noctu vero parum dormiens febrilem alterationem perſenſit, atque etiam poſt alteram diem, licet ſubſecuto ſudore intermiſerit. Cum autem hiſce duobus diebus quibuſdam ſolicitudinibus, & animi pathematibus non parum commotus fuiſſet, die 13 - Februarii poſt Prandium iterum acerbiſſimo dolore in latere ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis ſurſum, ac deorſum correſpondente, atque vehementius, quam antea petitus eſt, quo etiam altius & ſæpius majore corporis agitatione exclamare cogebatur. Acceſſerunt ſimul pulſus vel maxime celer, & frequens, oris amarities, ſitis aſſidua, alvus adſtricta, atque urinæ, quæ prius copioſe fluebant, paucæ admodum, & coloris flavo -- rubentis emittebantur, etſi multum poſtea de ſero lactis, & aquis deſtillatis ad ſitim extinguendam biberet.

Ad hæc ſuperveniens, ea ſtatim remedia, quæ priore in caſu huic acerbiſſimo dolori applicata fuerunt, omni meliori modo in uſum revocare ad tollendam inflammationem inteſtinorum præfigebam; ſed vix adhibitis fomentis, & unctionibus, atque uno clyſtere, cum ea die non tam cito, quam alia vice dolor leniretur; Idcirco Dominus Doctor de Stebele, qui jam pridem ſanitati Illuſtriſſimi Domini Comitis inſerviebat, non immerito in Conſilium ſuperaccitus eſt, qui tamen nihil admittens, quod a Colica flatuoſa, bilioſa, tam acerbus dolor, aut inflammatio fieret, ſed a putredine modo lienis, modo pectoris, ut dicebat, prædicta omnia

medicamenta, & præsertim oleum amygdalarum dulcium sine igne recenter extractum, quod interne sumendum adhortabar, excepta missione sanguinis ex pede, quam & ipse concedebat, omnino rejecit. Itaque imprimis loco fomentorum, quæ solum per intervalla interpositis unctionibus superius dictis fiebant; Cataplasma ex farinis seminum lini, fabarum, florum Chamomillæ, sambuci cum camphora in lacte decoctis assiduo, & calide applicari jubebat, quo utique dolentem partem non solum foveri, verum etiam præter modum excalefieri oportebat. Interne vero spretis etiam clysteribus ex oleis, & decoctione specierum emollientium, & florum Chamomillæ paratis; ad putredinem arcendam, ut ipse dicebat, sequentia medicamina sub 14. Februarii, seu 2. ab invasione prædicti doloris ordinavit.

℞. Terebinth. Aqua plantag. coct. *drach.* i.
Extract. millefol.
cichor.
aristoloch. rot.
symphit. ana *scrup.* i.
Gumm. Arabic.
tragacant.
Elem. ana gr. xxv.
Ac. dulcis
Balsam. ana *scrup.* i.
Trohisc. gordon.
antihect. Poter.
arcan. duplicat. ana *scrup.* ii.

Cum Balsam. Lucatelli misce. f. pil. i. gr. dentur ad scatul. cum pulvere liquirit. Sigill. *Pillen, morgen -- und nach -- mittag 15 zu nehmen, und 2 Thaalen tun folgenten* The *darauf trinken.*

℞.

℞. Rad. ſymphit *drach.* ii.
ariſtoloch. rot.
cichor.
rub. tinct. ana *drach.* i. ſs.
herb. ſcord.
plantag. acut.
hæder. tereſtr.
numul. ana m. ſs.
fl. roſar. rubr.
bellid.
ſcabioſ.
hyperic. ana p. ii.
Fruct. dactilor. *unc.* i.

Inciſ. & contuſ. d. ad chart. ſigill. *Kräuter* Theè *alle morgen ündvachmittag einen löfl Vol zú nehmen, in ein früggele Waſſer ein par Waller zhúen laſſen, hernach trinckhen Wie einen* Theè *mit folgenten ſafft.*

℞. Syrup. d. ſcabios.
hæder. tereſtr.
oxymel. ſimpl. ana *unc.* ſs.

Sigill. *Safft den* Theè *anſtatt des zuchers ſies zú machen.*

Quæ quidem medicamina ſingulis quatuor ſubſequentibus diebus ſine levamine, at rebus in pejus ruentibus Illuſtriſſimo Patienti exhibita fuerunt; Quapropter accerſito die 5. - ab inſultu doloris ſeu 17. - Februarii ad veſperam trium aliorum Medicorum conſilio, quamquam hujus complicati mali hiſtoriam ſuperius expoſitam, & ſymptomatum ſetiem, quibus morbus acutus inflammatorius poſtremo ſuperadditus a chronico, & antiquo pectoris ſatis clare diſtingui poterat, ſigillatim retuliſſem, tamen ipſi dolorem acerbiſſimum ſæpe dictum nullatenus in Colicam, ſeu inteſtinorum inflammationem, aſt ſolum in pectoris morbum, licet de hujus etiam morbi ſpecie inter ſe diſſentirent, unanimiter re-

ferebant. Siquidem prælaudatus Dominus Phyſicus de Stebele vomicam Pulmonis; Dominus D. de Egloff Anatomiæ Profeſſor abſceſſum Pulmonis ſuppuratum in ſacco quodam veluti contentum, ac ſi vomica ab abſceſſu differret, Dominus Phyſicus de VVyſmayr pectoris empyema, Dominus vero Profeſſor de Payr affectum ulceroſum, ſeu pulmonis ulcus nuncupabant, ea omnes inducti ratione, quod Illuſtriſſimus Dominus Comes ſputum purulentum (quod ſcilicet in vas immiſſum aqua repletum fundum petebat) rejiceret, nihil contra intelligere volentes, quod jam a multis annis tam cum tuſſi, quam fere ſine tuſſi ſingulis diebus plus vel minus prædictum ſputum purulentum haberet, nec ulla hujus purgationis ſuppreſſio poſtremo contigerit, præterquam, quod prædicti pulmonum morbi indolentes potius, quam ad tam acerbum dolorem inducendum apti ſint. Hinc nullum ex his, quæ dicebant, ſed aliud longe antiquum pectoris vitium fore oportere, quod licet inſanabile; tamen, cum hactenus a multis annis Illuſtriſſimus Dominus Comes facile admodum ſuſtinuerit, tum etiam diutius ſuſtinere poſſet, dummodo inteſtinorum inflammatio tolleretur, in Conſultatione aſſerebam. Sed rejectis ſimiliter omnibus, quæ ſuperius exponebam, remediis, non niſi mixturæ ex aquis, pulveribus, & ſyrupis pectoralibus conſulebantur; improbatis tamen Pilulis Balſamicis, & gummoſis, ut nimis calidis a Domino Phyſico de Stebele præſcriptis. Nihilominus decoctio theiformis ipſius, & tinctura aloetica cum Balſamo ſulphuris terebinthinato unacum reliquis ſæpius in die exhibebantur, vix uno injecto, aut duobus toto tempore clyſteribus, & ad purgandum potius, quam ad dolorem leniendum comparatis.

Ulterius die 7. ab inſultu doloris ſeu 20. Februarii

rii eodem perſiſtente dolore, continuis vigiliis, & febre acuta, quæ vix unquam remittebat, ſuccus cichorei cum tinctura Rhabarbari & Syrupo de myrobolanis juxta ſequentem formulam a Domino Profeſſore de Payr & Phyſico de Stebele præſcripta fuit.

℞. Tinct. Rhabarb. cum ſucco cichor. prepar. *unc.* iiii.
Syrup. de myrobolan. *unc.* ii.

M. d. ad vitrum. ſigill. Rhabarb. tinctur *den halben theil Vormittag, und dern halben theil auf Vormittag frühe zu nehmen.*

" Ipſe autem, licet ab omni confidentia pridem excluſus, cum iterum in Conſilium veniens medicamentum hoc approbare nequiviſſem, quod nec ulli ex ſuppoſitis pectoris morbis, nec urgenti inflammationi conveniens foret, ſed potius valde nocuum; Contra vero repetitos clyſteres ex oleis, ut ſupra, & decoctione ſpecierum emollientium, florum Chamomillæ &c. quibus etiam laudanum liquidum Sydenhamii ad guttas aliquot addi poſſe dicebam, atque interne oleum amygdalarum dulcium ſine igne recenter extractum, & reliqua, quæ utiliter prima vice adhibita fuerunt remedia ad ſpaſmodicam fibrarum contractionem relaxandum commendarem, tam acriter a Domino Profeſſore de Payr reprehenſus ſum, ut palam exprobraret, Illuſtriſſimum Dominum Comitem doloris recidiva ideo correptum fuiſſe, quia prima vice, poſtquam ſanguinis miſſio ex brachio inſtituta fuerit, & totus lardaceus, ſeu cruſtaceus in ſuperficie videretur, particulas hæterogeneas non purgaverim: Quare prædictum medicamentum ſummopere indicatum, ea, qua ſemper ſolet, Authoritate contendebat, illudque abjectis omnibus, quæ a me propoſita fuerunt, duobus ſubſequentibus diebus Illuſtriſſimo Patienti propinari juſſit, qui denique die 11. - Morbi, ſeu 23. - Februarii omnium mærore exſpiravit.

Nunc

Digitized by Google

Nunc vero ad particularum hæterogenearum purgationis omiſſionem quod attinet, tam ridiculo, ac immerito mihi imputatam (quidquid prælaudatus Dominus, Profeſſor de Payr ſubtilis particularum hæterogenearum ſcrutator intelligere intendat) jam pridem alvum blandis lenientibus ſæpius & ſatis ſubductam fuiſſe, nec efficacioribus purgantibus Illuſtriſſimum Patientem tractari debuiſſe, quilibet artis peritus ex ſuperius expoſitis manifeſte colligere poterit,

Interim ipſe non parum erubeſcerem, conſcientiæque meæ, ac officio defuiſſem utique, ſi poſt Praxin multis annis in primariis Italiæ Noſocomiis, & in caſtris exercitam, & obſervationes a me factas, Colicam flatuoſam bilioſam, ſeu morbum acutum inflammatorium inteſtinorum ab antiquo Pectoris malo, cui ſupervenit, diſtinctum, contra tot objurgationes diſtinguere, atque amice admonere deſtitiſſem. Quod ſi etiam a Pectoris malo ſeu vomica, ſeu abſceſſu, ſeu Empyemate, ſeu ulcere Pulmonis, ut immerito præſumebatur, recenſita acerbiſſimi doloris, & inflammationis ſymptomata cum febre acuta, ſiti intenſa, & continuis vigiliis vel immediate, vel per conſenſum fieri concedendum fuiſſet, anne unquam præſcriptæ Balſamicæ Pilulæ, tinctura aloetica, & Balſamica, pulveres cum myrrha, ſimileſque mixturæ, atque alia, quæ toto morbi decurſu propinata ſunt, indicationibus ſatis facere apta fuerint? nequaquam profecto; ſed pejora fortaſſe, ſi venenum excipiatur, tanto malo exhiberi non potuiſſent.

Quapropter, cum ægre in civitate intelligeretur, quod tanta inter Medicos diſſenſio orta fuerit; idcirco Excelſa Cæſareo-Regia Repræſentatio rei veritatem inquirendam eſſe juſtiſſime mandabat, ut nimirum Cadaver Illuſtriſſimi Domini Comitis, quod Bruneckium in Puſtariſiam transferendum erat, interventu alterius a partium

tium ſtudio alieni Medici aperiretur; poſtea etiam tum aliis, tum mihi gratioſiſſime injunxit, non tam morbi hiſtoriam, ſeu ſpeciem facti, quam curationem, quæ ſcilicet adhibita, vel adhibenda fuiſſet, litteris contignare, quod cum ita fideliter, ac demiſſe præſtarem (quidquid ab aliis relatum ſit) ne mihi tantopere culpa, aut palmaris ignorantiæ nota imputari poſſit, illud quoque addendum venit, quod ante inciſionem cadaveris in confirmationem ſuperius expoſitorum Domino Profeſſori de Sterzinger ut Commiſſario delegato aſſertiones meas de iis, quæ diſſecto Cadavere detegenda forent, ſcriptis verbis tradiderim, videlicet, quod in pectore aut vomica, aut abſceſſus, aut Empyema, aut ulcus pulmonis, ut volebant, veroſimiliter non deprehendendum foret, ſed aliud longe antiquum Pectoris vitium, quo, cum a tot annis tam facile ſubſtitiſſet, tum etiam diutius ſubſiſtere potuiſſet, dummodo morbus Colicæ, ſeu inteſtinorum inflammatio poſtremo non prævaluiſſet. In infimo ventre vero vitium præcipue bilis, & gangrænoſam inteſtinorum inflammationem inveniendam fore, qua ſine ullo etiam Pectoris malo Illuſtriſſimus Dominus Comes neceſſario interire debuiſſet, conſtanter aſſeverabam, quemadmodum Spigelius affirmat, ſe nullum unquam diſſecuiſſe ex Colica mortuum ſine inteſtinorum inflammatione. Hinc ne a debito ordine recedam, prælaudati Profeſſoris de Sterzinger relationem de viſis & repertis hic mihi annectere liceat.

Relatio obſervatorum in diſſecto Cadavere Illuſtriſſimi D. D. Comitis &c. a Domino Profeſſore de Sterzinger ut Commiſſario ab Excelſa Cæſareo-Regia Superioris & Anterioris Auſtriæ Repræſentatione delegato conſcripta.

PRimo ante ſectionem in Cadavere apparuit ſiniſtrum pectoris latus magis elatum, quam dexterum, totumque abdomen turgeſcens, & diſtentum; plures inſuper ſuggillationes in ſiniſtra abdominis parte ab ultimis coſtis ſpuriis deorſum, & verſus dorſum ſe extendentes obſervatæ ſunt.

Secundo, Aperto abdomine ventriculus, & inteſtina valde diſtenta, & flatibus turgida ſe obtulerunt.

Tertio, Inteſtina tenuia, præſertim Ileon, inflammata reperta ſunt, pariter, ſed leviori inflammatione correptum fuit initium inteſtini Colon.

Quarto, Reliquæ abdominis partes nihil præternaturale manifeſtarunt præter hepatis veſiculam, quæ parciorem bilem, eamque nigricantem, & ſpiſſam continuit.

Quinto, Ex ſiniſtra abdominis parte propendebat, & deorſum in ejus Cavum inſolito modo turgebat diaphragma.

Sexto, Aperto thorace in ſiniſtro ejus Cavo magna, & plurium librarum ſeri purulenti & fætidi Copia, diaphragma ex illo latere deprimens in conſpectum venit, & pulmo illius lateris fere totus conſumptus fuit; dexter autem pulmo cum reliquis thoracis partibus nullum exhibuit vitium.

Ex

Ex his igitur viſis & repertis manifeſte colligere licet, Illuſtriſſimum Dominum Comitem complicato morbo poſtremo divexatum fuiſſe, uno Chronico, & antiquo medii ventris ſeu Pectoris, altero acuto infimi ventris, ſeu colica ex vitio bilis, & inteſtinorum inflammatione.

In Pectore inventus eſt ſiniſter Pulmo affatim conſumptus, & veluti exſiccatus, de quo pauca ſoluni ſpongioſa ſubſtantia ſanguine exhauſta ad magnitudinem circiter duorum craſſiorum digitorum tracheæ annexa, exiſtente dextero pulmonis lobo integro, atque illæſo, remanſerat. Hanc autem exſiccationem, ſeu conſumptionem pulmonis non a vomica recenter inducta, quæ nulla reperta eſt, ſed ab illa, quam Illuſtriſſimus Dominus Comes jam aliquot ante annis paſſus fuit, & ipſi præclariſſimus Boerhaave aſſerebat, ſenſim, ac ſenſim factam fuiſſe, omni ratione autumandum.

Verum ſuperata vomica jam pridem, & ſubſecuta conſumptione Pulmonis, cum hanc Illuſtriſſimus Dominus Comes ut ſanus hactenus ſuſtinuerit, ita & diutius haud difficulter vitam agere potuiſſet, niſi dolor Colicus ſuperveniens eum arripuiſſet; Etenim exſiccato, aut conſumpto uno Pulmone, altero exiſtente integro, & ſano hominem ſine periculo vivere, innumera a præſtantioribus Authoribus (ne hic ſingularem a me factam de ſiniſtro conſumpto Pulmone obſervationem adducam, cum ab anno 1725. uſque ad 1729. in Archinoſocomio Sancti Spiritus Romæ aſſiſtentis Medici officio fungebar) Exempla ſuppeditantur; quemadmodum inter alios Thomas Bartholinus in ſua diatribe de Pulmonum ſubſtantia, & motu cum Malpighii obſervationibus Anatomicis anno 1663. Hafniæ edita declarat ex Salmuth obſervatione per magnum Corringium

in Cadavere Phthiſici pulmonem dextrum plane conſumptum exiguo ſaltem quopiam fruſto inſtar minutiſſimæ ſpongiolæ exſiccatæ; nec vi hujus exſiccationis mors ſubſecuta, quia ſiniſter Pulmo prorſus dicitur illæſus: ad illam quoque ſiccitatem Pulmo Jacobi Galli Juris conſulti Patavini exaruerat, ut aſpera arteria cum pulmonum vaſis fidium inſtar conſpiceretur, & dubio procul ad nativam faciem proxime accesſit, hæc Bartholinus omiſſis quamplurimis aliorum obſervationibus.

Præterea in prædicta Pectoris ſiniſtri lateris Cavitate copioſus humor ſeroſus, albus veluti putredinoſus ad quantitatem plurium, ut dicit relatio, ſeu 3, aut quatuor circiter librarum continebatur, quod Dominus Profeſſor de Sterzinger clarius affirmabit, cujus pondere diaphragma aliquanto convexum erat verſus inferiora, ſeu infimum ventrem, ut ſæpe videre occurrit in ſectione Cadaverum hydrope pectoris defunctorum, quin revera diaphragma (niſi res præter modum exaggeretur) ſuppoſitum quemdam ſaccum efformaret. Cum autem nulla, aut vix ulla, quæ dici poteſt, difficili reſpiratione Illuſtriſſimus Dominus Comes (ut omnibus ſatis perſpectum, quidquid in contrarium dicatur) donec dolor Colicus ſupervenit, afficeretur; rite credendum, quod & hoc malo Illuſtriſſimus Dominus Comes longiorem vitam ducere, nec tam præcipiti caſu interire potuiſſet, ut potiſſimum hydrope pectoris laborantibus, niſi quandoque ex improviſo ſuffocentur, lenta mors accidit prægreſſo diu aſthmate, aut difficili reſpiratione, cui tamen in noſtro caſu prædictus humor ſeroſus longe minus officere poterat, conſumpto jam Pulmone. Illud tamen probabilius videtur, quod prædictus humor ſeroſus quoad majorem partem excepta aliqua fortaſſe viſcidioris humoris copia intra prædictam pectoris cavitatem jam contenta extravaſatus fuerit, ultimis

Digitized by Google

timis diebus morbi, cum ab insultu doloris urinæ, quæ antea copiose fluebant, admodum paucæ emittebantur. Denique tam pleura, quam diaphragma penitus illæsum erat, seu nullo modo inflammatum, aut erosum, nisi aliqua incongruenter præter rem facti superstruantur, nam & hoc Dominus Professor de Sterzinger diligenti ab ipso facta observatione, si ulterius requiratur, declarabit, quod etiam ex eo manifeste deduci potest, quod Illustrissimus Dominus Comes toto morbi decursu sana mente præditus, & solum una, aut altera hora ante mortem levi admodum deliratione affectus fuerit, cum alias quocunque modo læso, aut inflammato diaphragmate delirium excitari pridem debuisset. Unde nec immediate, nec per consensum ab hoc malo pectoris tantum dolorem fieri unquam potuisse credibile est.

Hinc cum amplius ex viso & reperto negandum non sit, quod Illustrissimus Dominus Comes intra paucos dies acerbissimo colico dolore ex vitio bilis, & intestinorum inflammatione) quam nunquam concedere volebant) necessario occubuerit, nihilominus rem ipsam quodammodo ad sensum eorum detorquere studentes, illud nunc exornare conantur, quod præfatus colicus dolor non nisi symptoma, seu productum morbosum a morbo pectoris fuerit; Ast quilibet vere Anatomicus, & Practicus Medicus nullam tam facile inter se connexionem habere, sed in hoc casu morbum Colicæ, ac subsecutam intestinorum inflammationem a propriis genuinis causis, videlicet ab affectionibus hypochrondriacis, seu vitio bilis præcipue & flatibus &c. quibus Illustrissimus Dominus Comes obnoxius erat, accedentibus etiam quibusdam animi Pathematibus, etsi nullum Pectoris malum extitisset, inductam fuisse, verosimilius censebit.

Verum enim vero, ne nimis temere, aut severe partem meam tueri videar, illud quoque pro Coronide

ipſis concedatur, quod tantus dolor, & inflammatio inteſtinorum tanquam Symptoma, ſeu productio morboſa morbi pectoris conſiderari oporteat, utique ratio bonæ Praxeos expoſcebat, ut primo huic urgentiſſimo ſymptomati, quo alias æger celeriter, ut contigit, de medio tollitur, antequam Chronico Pectoris malo utilis curatio ſaltem palliativa afferenda foret, promptiſſimis & aptis remediis morbo etiam Pectoris appropriatis, ut dicebam, quorum nulla, ſed nocua ſemper propinata ſunt, vel maxime ſuccurrendum fuiſſet, ut præ cæteris Fredericus Deckkers in ſua præfatione exercitationum practicarum appoſite ad hunc caſum declarat expreſſis verbis: Exemplo ſit tibi benevole Lector Arthritis graviſſima doloribus intollerabilibus, vigiliis ægrum affligens: Siquis primo hujus morbi Cauſam tollere vellet, antequam contra dolorem, vigilias &c. quid in uſum revocaverit, nonne Medicus ille potius Carnifex, quam auxiliator vocari eſſet dignus? Sic quoque res ſe habet in omnibus fere doloribus, inquit ille.

Hæc itaque pro rei veritate, quidquid alii circa ſpeciem facti tum aliquibus forſan detractis, tum quibuſdam additis, quæ non fuerunt, circumſtantiis ſuperſtruere allaboraturi ſint, ut gratioſiſſimis Excelſæ Cæſareo - Regiæ Majeſtatis Repræſentationis Superioris, & Anterioris Auſtriæ Mandatis parerem, atque ſapientiori Medicorum Judicio pro Cenſura ſubmitterentur, obſequentiſſime exarabam. Hac die 30. Martii 1751. OEniponti.

Demiſſiſſimus
Franciſcus Ferdinandus Giuliani pro Sacra Cæſareo - Regia Majeſtate Phyſicus primarius OEniponti, & Caſtrenſis Medicus.

L U-

LUCUBRATIONES

Ad Julianeam Expoſitionem particularis cujuſdam deſcripti morbi &c.

INtereſſe Reipublicæ plurimum dubitabit nemo, viros in Societate humana habere, qui unice toto vitæ tempore Sanioris Medicinæ ſtudiis incumbant, atque Ætatem conſumant in dignoſcendis rite, iiſdemque blande curandis morbis, & qui ſummopere ſtudeant humani generis ſanitatem tueri & conſervare; Quare quærendos nobiliſſimos & optimos Medicos, in morbis corporis, ut quiſque eſt difficillimus (monuerat Cicero,) officere autem Bono Publico atque hominum conſervationi Pſeudo-Medicos, qui tum ex Ignorantia, tum lucri cauſa impune occidunt, cuique patet: Medicinam jam a prima ejus origine & rite factam & perperam uſque ad noſtra tempora factitatam, ſi tempora luſtrentur, & ſectæ Medicorum diſtinguantur ſcriptaque eorum volvantur, colligere procul dubio poterimus; Quapropter mirari ceſſabimus, diebus his noſtris ad unicum eum ipſum Ægrum plures convocatos pro cura & conſilio Medicos diſſentire de natura unius & ejuſdem morbi, variaque ab uno remedia, alia ab alio diverſa omnino præſcribi, cuinam ergo notio morbi certa? quiſnam tute magis Ægrum curabit? Vulgo latere reſponſa condolebimus: diſcer-

Præfat. uncula.

pro Cluent.

Digitized by Google

diſcernere autem perfectum Medicum a Pſeudo-Medicis, eorum eſt qui Reipublicæ præſunt.

Hæc cogitabam ipſe mecum, dum legerem Expoſitionem morbi cujuſdam complicati, in qua Medici diſſenſerant circa naturam & morbi & methodi curandi; Quare ſtudiorum meorum gratia, iis quæ præter occupationes meas, horis remanſerant, ne antelucanis vacarem otiis, pro genio meo Diſſentientium rationes perpendere aggreſſus ſum;

Hiſtoria Morbi, quæ legenda mihi venerat, ab Viro doctiſſimo Franciſco Ferdinando Julianio Medico pro S. C. R. M. Primario OEniponti expoſita eſt, collatis inde morbi deſcripti Symptomatibus, ut quiſque hiſtoriam legens conſiderare poterit, hæc mecum perpendebam; Illuſtrem Comitem VVelſpergium (cujus morbus deſcribitur, quemplurimi extinctum lugent) ex
pag. 1. Hæmoptoe conſecuta Vomica, ut prædixerat cele-
lin. 15. berrimus Boerhaavius, eaque ſublata excretione puris vi tuſſis & ſine tuſſi obiiſſe ut Julianius judicaverat Inteſtinorum ſubſequenti inflammatione; Interea ne opinione præoccuparer, cautius ſymptomata perpendere ſenſim aggreſſus ſum. Mirari præ cœteris ſatis non poteram, in tam atroci pectoris morbo, (ut conjectabantur ex Hæmoptoe antecedenti & Pulmonis Vomica cœteri Medici) nullam expirandi Aeris difficultatem denotatam; quacunque enim materia, craſſa ſit vel liquidior, illa, intra pectus & Pulmones collecta, ſupponitur & ſpatium quoddam in iis partibus, quo contineretur, dilatata enim præter pulmonis naturam, ejus ſubſtantia, ſeu conſtricta eadem, hærente ipſa præternaturali materia in

aliis

aliis vicinis pectoris partibus circa ſuperficiem eorum pulmonum, neceſſum duxeram preſſionem in folliculis, atque in ramis aſperæ arteriæ fieri, aeraque inde difficilius inſpirari & expirari; Pectoris equidem vitium & deſcripta tuſſis, ſignificare poterat, cum autem nulla deſcriberentur Reſpirationis læſæ ſigna; opinari cum Julianio conabar, deſcriptam tuſſim non ex Pulmonum vitio, ſed per conſenſum ex partibus mox ſub diaphragmate ſitis excitatam fuiſſe, præcipue cum explicaretur in ipſa morbi hiſtoria; *affectibus hypochondriacis obſtructionibuſque hepatis Ægrum obnoxium*: Ortum inde ex vitio bilis ſeu latente quadam cauſa in Inteſtino *Colon* arguebam *acerbiſſimum poſt prandium dolorem in latere ſiniſtro ſub ultimis coſtis ſpuriis, in puncto quaſi contracto, & cum cruciatu veluti terebrante de repente, cum ſiti, Oris amaritie, pulſu celeri & ſolito frequentiori, alvi ſuppreſſione, vocis raucedine*, quæ doloris Colici Diagnoſis ab Authoribus Clinicis pleriſque deſcribitur; quod ſi inæqualis diſtenſio, & ventris adſtrictio, rigidorumque muſculorum contractio deſcripta fuiſſet, nervos potius affectos conjectaſſem juxta doctrinam Baglivii de Colica, præcipue cum rheumaticis defluxionibus, doloribuſque arthriticis quondam afflligeretur Æger: Qua autem lege dolor ille ſub ultimis coſtis ſpuriis explicaretur a cœteris Medicis, ſuppoſito in cavitate pectoris vitio, ſi doloris ſitus perpenderetur, percipere nunquam poteram; non ignorabam equidem, & dolores in iis partibus perſentiri quandoque; cum eas indolentes admirarer cum Laurentio Bellino Florentino Viro doctiſſimo, cum de Pulmonis Vomica differit; Ejus ſunt verba! *Admirabile eſt in hoc*

pag. 3. lin. 6.

pag. 1. lin. 26.

pag. 4. lin. 30.

pag. 2. lin. 1.

mor-

Digitized by Google

morbi genere, in tam facili ad mortem via per abſceſſum, vel collectionem puris intra Pulmonis corpus, nil doloris aut moleſtiæ perſentiri: quod doctiſſime ex phyſicis & Anatomicis explicat, atque demonſtrat idem Author.

His perſpectis interna quadam collocutione mecum argumentabar, affectum forte ex hæmoptoe, & conſecuta Vomica fore quemdam cum Julianio particulari nomine haud facile nuncupandum, nulla autem ratione inferendum cogitabam ex demonſtratis a Bellino; latente quodam in pectoris cavo vitio nullum perſentiri debere dolorem, etenim ſi nulla perſpecta fuerat moleſta ſenſatio in partibus pectoris, qua ratione explicabitur dolor deſcriptus ſub coſtis ſpuriis? Interea me doctrinam hanc ex conſulentibus Medicis hauſturum non dubitabam.

Altera igitur luce cum operam darem conſiderandis Medicorum conſulentium variis ſententiis, cognoveram mutatis vocibus varium morbum deſcribere & ſignificare quemquam voluiſſe; Quare perceptis omnibus morbi ſignis, quæ ſe rite expo-
pag. 10. *lin.* 2. ſuiſſe Julianius ſcribit; *Vomicam Pulmonis* morbum dixiſſe collegeram Stebelium (Senex videlicet ille, quem tutiſſima prognoſi mortem Ægri prædixiſſe, Epiſtola ad Julianium deſcribitur) ſed ſententiam mutaſſe eum comprehendi, nam juxta
pag. 7. *lin.* 34. relationem Julianii xiii Februarii accitus venerandus hic ſenex, dolorem dixerat productum a putredine modo lienis modo pectoris, quid hæc! gravemne magis & aptam poſt quatuor dies coram conſeſſu Medicorum dare voluerat morbi definitionem? Sic hercle apparet, quippe *Pulmonis Vomica* morbi genus eſt; Putredo autem & Lienis

nis & Pectoris, voces ſunt Barbitonſorum & Obſtetricum; quæ gens ut ſe Medicinæ gnara demonſtret ſimilia balbutire conatur; Verum qua ratione putredo pectoris & Lienis, a Pulmonis Vomica differant cuique Medicinæ rudimentorum ſtudioſo patet; Has forte exclamabit quis Venerandi Senis defenſor definitiones atque minutias petit ob octuagenario Medico, qui morbi definitionibus ligari nulla ratione tenetur; ab juniori quærantur hæc, qui mox e ſcholis egreſſus definitionum oblitus non fuerit! Ab ſtudioſiſſimo igitur Eglophio accuratam magis definitionem morbi quæſivi; cujus hæc eſt: *Pulmonis ſuppuratum* (lego dixiſſe) *abſceſſum in ſacco quodam veluti contentum*; deſcripta potius per hæc verba quam definita mihi videbatur Ægritudo; quod ſi in ſcholis quæratur, quid ſit abſceſſus? Reſpondebit Studioſorum quiſque, *Pus eſſe in quadam parte hærens*, Pus igitur erit in Pulmonibus hærens? cum inde *ſuppuratus* dicatur, nonne & locus in quo ſuppurata materia derivaſſet, indicandus erat? quod explicatur, ſi quis Medicorum contentus ſit ſuppuratos abſceſſus in ſacco veluti contineri; Opportuitne Eglophie mi conſulentes Medicos hanc novam theoriam docere? nonne per vocem ſolam *abſceſſus* ſignificatur Pus hærens in quadam parte, ea lege ut lateribus clauſis contineatur, quod ſi pus occupet viſcus aliquod internum vocari *ſuppurationem* in ſcholis docemur, Selecta ſane pro ſtudioſiſſimo Eglophio Univerſitatis publico Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſore definitio! deſcripſiſſe eum oportebat & denominaſſe læſas partes, diſtinguendo qua membrana, quo ſitu pectoris ſaccus formaretur, aut cum ſuppuratum di-

pag. 10. lin. 3.

Gorter Chirurg. repurg. l. 3. c. 4. §. 550.

 xiſſet

xiſſet abſceſſum, explicare debuiſſet anne in internis Pulmonum bronchiis; ſeu in externa viſceris illius ſuperficies abſceſſus fuerit; Inde ne ignorantiæ nota condemnari ſolus poſſet, ſe cum Stebelio ſentire aſſeruiſſet, nam ut eum correxe-

pag. 10. *lin.* 4. rat Julianus, Pulmonis Vomica ab abſceſſu nulla alia ratione differre mihi videtur quam in magis apta explicatione leſæ partis, Pulmonis enim Vomica, tumor dicitur pure plenus in cellulis Pulmonis; Ulterius lucubranti mihi apparebat, Eglophianum abſceſſum congrua definitione ſigni-

pag. 10. *lin.* 5. ficaſſe Viſmarium, cum pectoris Empyema morbum dixiſſet, Pus ſcilicet in cavo Pectoris contentum, Pus enim materia abſceſſus ſuppurati dicitur, atque eadem abſceſſum conſtituerat, & cavitas pectoris ſaccus nuncupari poſſet; quod ſi ſcholarum ſtylo verba dicere voluiſſet Anatomicus, nonne *ſinum purulentum* vocare debuiſſet ſaccum pure plenum? Verum ne ſuper quæſtione vocis ſeu nominis lucubrando tempus tererem ad aliorum Medicorum ſententiam perpendendam converſus ſum, nullumque aliud præter pectoris vitium a Viſmario explicatum docebar, cum morbus diceretur Pectoris Empyema; (ſed pax huic viro & Requies, quem ſuperi nobis ipſo hoc anno ademerunt :)

1751. *menſe Aprilis obiit.* Jam vero nec Vomica dicitur neque abſceſſus, vere Empyema morbus a Celebri Profeſſore & Nobili Viro Pairo, ſed *affectus* definitur *ulceroſus*, videlicet *Pulmonis ulcus*, quæ voces neceſſario ſubnectuntur, etenim & pedum ulcera affectus dici poſſent ulceroſi, lata igitur ſignificatur ab docto Viro hoc, & patens apertura ſine ſaco profundo in pulmonibus, quæ communis eſt

ulce-

ulceris definitio ; hoc autem conceſſo ulceroſo affectu in pulmonibus, emanantem de ulcere materiam ſinus purulentos, tabem, pus in cavo pectoris aliaque phænomena ſupponere debemus, ita ut unica hac definitione ceteræ comprehenſæ omnes mihi viderentur ; quin imo verum maneret ſemper vitium in hoc morbo ab his in Pectoris partibus ſtatutum fuiſſe ; imo & ipſe Julianius pectoris vitium quoddam cognoverat , ſed antiquum, idque inſanabile , attamen ut Æger illo tantum affectus vivere diutius poſſet ; nullo quidem hanc paſſionem diſtinxit nomine, eo quod ullum conſtaret ſymptoma pectoris læſi , ſatius enim eſt ſilere quam locutione falſa dicere , & errare. Tuta magis & apta reſpectu ſymptomatum definitione morbum ſignificaſſe Julianium mihi videbatur , cum colicam nuncuparet biliosam morbum, ſeu inflammationem inteſtinorum. *pag.* 10. *lin.* 18.

Hæc mente volvebam mea ſuppoſita ignorantia eorum quæ diſſecto cadavere detecta fuerant, Decretum enim fuiſſe lego , in manu Commiſſarii delegati, aſſertiones ſuas quiſque ſcripto traderet de iis , quæ in diſſecando cadavere obſervanda forent, & detegenda; latet jam me quid ſcripſerint præfati Medici, ab Julianio autem hæc habeo. *neque in pectore vomicam , neque abſceſſum , nec Empyema neve ulcus Pulmonis dignoſcendum , ſed longe aliud pectoris vitium deprehendendum fore , quo cum a tot annis* tam *facile ſubſtitiſſet , diutius adhuc Ægrum ſubſiſtere potuiſſe , dummodo morbus Colicæ , ſeu inteſtinorum inflammatio poſtremo non prævaluiſſet :* perpendere jam coeperam anne ſcripta hæc cum inventis ex diſſectione cadaveris convenirent , & quidem in pectore vitium admittere cogebar , eo *pag.* 13. *lin.* 10. *pag.* 13. *lin.* 13.

quod magna copia ſeri purulenti deſcribatur ex ſectione in pectoris cavo inventa ponderis libra-
N. 6. rum . . . , attamen ex hoc nec vomicam eruendam neve ulcus demonſtrandum cenſebam, cum ſola unius lobi pulmonaris conſumptio deſignetur ab delegato Sterzingero Viro doctiſſimo, antiquum ſane & jam a tempore longo vitium putabam ipſam pulmonaris lobi conſumptionem, recens autem cenſenda mihi videbatur Seri puru-
pag. 14. lin. 25. lenti in cavo pectoris obſervata collectio, eo quod ullum deſcriptum fuerit, adeoque nec extitiſſet ab invaſione morbi ſymptoma ipſam hanc extravaſationem indicans, conſiderata hujus morbi rigoroſiſſime deſcriptione; etenim in diuturnis & præternaturalibus fluidis extra vaſa in cavo Thoracis collectis, difficultates reſpirandi, cordis palpitationes; puſtulæ circa pectus, tumores, anxietates, & febres mitiores, lentæ obſervantur aliaque plura quæ a ſolertibus morborum ſcrutatoribus aliiſque Authoribus explicantur. Aſſentiebar libentiſſime puris collectionem Empyema definiri; & plerumque ex Pulmonis vomica derivare, do-
6. aph. 20. ctuſque ab Hippocrate *ſanguinem in ventrem præter naturam effuſum neceſſe ſuppurari*, ſuſpicari potuiſſem, eam Seri purulenti collectionem ex antecedenti Hæmoptoe ortam; verum concipere haud ſatis valebam tam diuturni & jam ab aliquot annis perſeverantis morbi (quod ſupponere debuiſſem admiſſa hac propoſitione) vim ultimo tantum hoc morbo cognitam; præſertim cum nulla detecta ſint in diſſectione ulceris aut ſuppurationis veſtigia, quare arbitrabar de repente per canales derivatum in cavo pectoris ſerum illud purulentum, eo quod impedita fuerit magis natu-

ralis

ralis humorum ſecretio; ſuppreſſis urinis ut in morbi hiſtoria circa finem Ægritudinis exponitur. His cogitationibus mente conceptis; En abſceſſum Pulmonis ſuppuratum in ſacco veluti contentum prorumpens ad diſſecantem Eglophius, menti obiectum, ſe ſe offerebat meæ; En pus fluctuans, compreſſum cernite ſaccum; etenim ut deſcribitur *ſiniſtra Abdominis parte diaphragma propendens* & deorſum in ejus cavum inſolito modo turgeſcens inventum eſt; Thorax igitur ſaccus erit, hujuſque ſacci fundus diaphragma; digna hercle ut Anatomicorum libris inſeratur partium deſcriptio & nomenclatura; ſed ne me cogitationes hæ tædeant, & nauſeam lectori excitent diutius ſuper his immorari nolueram, quem enim in diſſectionibus cadaverum verſatum latebit, evenire ſæpiſſime in ipſa ſectione, ut extra vaſa ſolutis humoribus in ipſa Thoracis cavitate ex pulmonum ſubſtantia, ex pericardio & aliis partibus vicinis materia quædam colligatur; ergo ne abſceſſus erit ſuppuratus? & ſiquidem hæc dixerit, morbumne detexit ſeu denominavit? Serum purulentum, etſi purulentum a quibuſdam ſerum non dicatur: ſeu materia quædam abſceſſus, ex humore quodam interno circa coſtas earumque membranas & muſculos ſeparata, & in cavo pectoris collecta, abſceſſus eſt quidem ſuppuratus, his autem verbis morbum nuncupari, quis cenſebit?

pag. 17. lin. 2.

pag. 14. lin. 22. N. V.

Qua vero lege ex Hæmoptoe, Vomica conſequeretur, eaque ſanata, ut prædixerat celeberrimus Boerhaavius, conſumptio & exſiccatio Pulmonis, & collectio Seri purulenti conſecuta ſint, meum non eſt examinare hoc loco, quæ quidem doctam ex Phyſicis & Anatomicis mererentur explicationem:

Hoc

Hoc equidem certum eſt ad tuendam Viri Clariſſimi Sententiam, innumeris exemplis & Obſervationibus demonſtrari poſſe, conſumpto uno tantum pulmonum lobo diuturnam atque jucundam vixiſſe vitam plures; quod etiam Illuſtriſſimi Comitis hujus exemplo declaratur, nam ut innueram ſuperius; conſumptio Pulmonis in eodem non ultimo morbo hoc cœpiſſe cenſendum eſt, quippe elapſis jam ab Hæmoptoe pluribus annis, tranſactis totidem cum ipſa vomica, excretis ſæpius cum tuſſi, mox ſine eadem humoribus viſcoſis, nulla exiſtente febre, ſine aſthmate pinqui corpore jucundos, quantum animi pathemata concederent, tranſegerat dies ante Ægri-
pag. 10. *in.* 20. tudinem Æger; Nonne igitur cum Julianio judicandum, morbum potius Colicæ, inflammationem inquam inteſtinorum dolorem excitaſſe, & mortem dediſſe? conſecutam pectoris vitio Inteſtinorum inflammationem dixiſſe Meden-
pag. 17. *lin.* 24. tes lucubrando perceperam ulterius, *adeoque non niſi* Simptoma *ſeu productum morboſum a morbo pectoris eandem fuiſſe*: quærere nitebar inde mecum ipſe, anne illa oriri poſſet, læſa alia parte diſſita, quæ amen inflammata non foret? quippe nulla ut colligitur ex diſſectione cadaveris in partibus pectoris
pag. 14. *lin.* 26. detecta fuerat inflammatio. Auſim ego jam aſſerere, facilius pulmones inflammatione corripi poſſe ipſis inteſtinis inflammatis, quam affectis pulmonibus inteſtina offendi ſeu labefactari, certò enim ex Anathome conſtat, atque ex demonſtratur chilum per ductum Thoracicum ad venam Subclaviam vehi, atque ex *Subclavia* ad auriculam cordis dextram, ex qua ad ventriculum ejuſdem dextrum, inde ad pulmones fluere: patet inde ex alimentis,

ab

ab eorum coctore ventriculo in inteſtina deciduis exprimi chilum, & per apertos a natura porulos trans inteſtinorum tunicas in lactearum canaliculos ſecedere, (a) ex quibus ad ductum Thoracicum: via jam demonſtretur tam facilis & apta, cujus tramite læſi humores ex pulmonibus ad inteſtina ducantur?

Mirum equidem videri poterit cuique ſanioris Medicinæ ſtudioſo, nullam in Pulmonibus detectam fuiſſe diſſecto cadavere inflammationem, verum ſi morbi natura perpendatur, ipſamet in hoc Ægro inteſtinorum inflammatio ultimis tantum morbi diebus orta videbitur, etenim non in omni dolore (etſi colicus foret ſine febre) eadem tam cito ſupponenda venit. Quæ cum lucubraſſem, ad perpendenda medicamenta, quibus uſi fuerunt Medentes, mentem revolvi meam, verum ne ea adnotare tenerer omnia, quæ ſuper quocunque medicamento cogitabam, pauca eaque pro ſtudio meo neceſſaria perpendere ſtatueram, quare fatebor me nullum in omnibus, quæ præſcripta fuerant ab Julianio remedia deprehendiſſe, quod nocere valeret pharmacum, quodque non indicaretur perſpectis morbi ſignis, atque admiſſa morbi nomenclatura a conſulentibus pronuntiata; Si quis autem perperam aſſenſum Medenti præſtitiſſe Julianium diceret, quod vomitorium medicamen propinandum conſuluerit, ob periculum vomitionis concitandæ in Ægro pulmonum vitio affecto, perpendat is Ægri ſtatum & morbi naturam, eo tempore, quo propinatum fuerat; Studeat cognoſcere anne materia evacuanda mobilis, aut immobilis eſſe debuiſſet: Materia inde in ventriculo viſcida, *pag. 2. lin. 22.*

(a) *Pecquetus Diſſert. de Circulat. Sanguinis & chili motu cap. XI.*

ut deſcribitur, morante, quis neget eam mobilem; ſi quis inde certò ſtatuere potuiſſet initio morbi, materiem in Thoracis cavitate latere, nonne cum Julianio admittere quoque potuiſſet evacuationem, ſeu ſolutionem materiei vi vomendi; quippe non expellunt tantum ſed ſolvunt vomitiva pharmaca, ut docet Hallerus, (a) quare *in locis circa diaphragma, vel in Thorace, vel in abdomine obſtructis, ſæpe ſolus vomitus viſcera liberat; ſed oportet ſana eſſe, necdum debilitata*, ut idem ſcribit. Fateor de obſtructis viſceribus ſcribere Hallerum intendiſſe; obſtructa autem paululum eadem Julianium non judicaſſe tum, cum propinatum fuerat vomitorium, dignoſci poſſe ex ipſa expoſitione, quis non comprehendat? haud im-
pag. 3. lin. 11. morandum inde ſuper diſquiſitione Infuſi ex herbis deſcripti putabam, eoquod nullam noxam uſu illius Ægro conciliandam cognoſcerem, imo vero levamen potius eidem quærendum ex eodem Infuſo cenſerem, extracta vi calidæ aquæ de plantis illis ſubſtantia oleoſa, & ſalina, quæ quidem parcè ex his delectis elicienda foret: qua autem
pag. 3. lin. 29. vi agere poſſent præſcriptæ Pillulæ *ad alvum blandè ſeducendam*, latere oportebat me, cum deſit earum compoſitio; Sufficit quidem ex juvantibus de earum vi ex effectu arguere. Inter Juvantia
pag. 4. lin. 12. opem ferre quæſivit certè Medicus Julianius pillulis ex Opobalſamo & gummate Ammoniaco cum extractis paratis, pectori enim & inteſtinorum vitiis balſamica juvare docemur paſſim, ut & juvare apta ſunt in primis viis inteſtinorum Extracta amaricantia & Gummata, quæ ad concretiones humoris bilioſi ſolvendas aptum eſſe

ſo-

(a) *In Comment. ad Inſtit. Boerhaave* §. 1201.

Digitized by Google

lent remedium docente citato Hallero:

Mutata dein morbi conſtitutione cliſteribus & fomentis dolentes partes per conſenſum externè & internè emolliendas fovendaſque fuiſſe Medentum quis non judicaſſet? Noxas ex oleo amigdalarum recenter ſine igne expreſſo in ſimilibus morbis internè ſumpti demonſtrare neminem tam facile poſſe cenſebam quacunque parte ſeu in pectore, ſive in Inteſtinis, doloris cauſa & ſedes foret; his ipſis rationibus de cæteris remediis ab Julianio delectis cogitandum putabam; præſertim ſi de equitatione dicendum quid foret, cujus ſolius uſu ſanatos dolore Colico Ægros præter Sydenhamum Boerhavius, atque a Sydenhamo doctus aſſerit Pitcarnius: Mirabar ſanè expoſitionem Julianeam legens prioribus paginis; Opiata nunquam præſcripta fuiſſe ab eodem; aſt verſus finem revocatum ad conſulendum & medendum Julianium legi, propoſitumque ab eodem Laudanum liquidum Sydenhami ad guttas aliquot, expertum hercle remedium idque particulare in omnibus affectibus dolorificis, præſertim in dolore Colico, laudatum ſatis ipſo Authore, laudatum omnibus, qui ſanam atque jucundam tutè exercent & faciunt medicinam; *verùm acriter a Profeſſore Pairo reprehenſum* colligo Julianium, *quod particulas hæterogeneas non purgaverit, ſanguine de vena ſecta extracto, exiſtente lardaceo ſeu cruſtaceo*. Comprehendere nequaquam poteram quid hac reprehenſione intelligendum foret; anne Tinctura Rhabarbarina, ab Julianio condemnata, ſufficiens judicaretur Pairo *ad particulas hæterogeneas purgandas*, an verò opinaretur Pairus uſu Laudani liquidi ſecretiones

pag. 4. lin. 29.
pag. 5. lin. 8. 13. 20.
pag. 11. lin. 17.
pag. 11. lin. 23. 24.

coerceri; ſi id exiſtimabat celeber hic Profeſſor, ſcire eumdem oportebat, alvum Opiatis non conſtipari, neque inteſtina conſtringi, vel exſicari excrementa, quibus tantum compeſcitur motus inordinatus, ut docet Joannes Gorter (a) *Imo alvus ſuppreſſa, uti in dolore Colico, ab opio dato relaxatur in praxi paſſim obſervavi, Colico laborantes fruſtra aſſumpſiſſe purgantia ad alvum ducendam, eaque magis alvum conſtipaſſe, & intendiſſe dolores; dypnotica autem non ſolum compeſcuiſſe dolorem, ſed etiam brevi poſt alvum fuiſſe reſolutam in ordinem redacto motu periſtaltico.* Hæc ſunt Gorteri verba, quibus & ſubſequentia ad dictorum robur, congrua paritate relata, ſubnectere lubet: *Hoc quoque in partu difficili obſervatur, ſi parturientium adſit motus inverſus, dato hypnotico partum facilitari. Multum igitur intereſt Medici, ſciat veram morbi cauſam, & modum, quo medicamentum operatur, quod talem morbum curat: hoc ſi non perſpectum habet, hypnoticum non poſſet dari in alvi fluxu, & conſtipatione, menſium profluvio, & ſuppreſſione.* Si verò putabat uſu Tincturæ Rhabarbarinæ partes hæterogeneas fore eliminandas, dubitarem equidem de vi hujus medicamenti, ceteroquin apti & proficui in pluribus morbis; neve quid dicam de particulis hæterogeneis in ſanguine, cum ex pluribus diverſi generis liquoribus, iiſque pretioſis, & neceſſariis ad cruoris balſamici naturam liquor is componatur, ad quam compoſitionem ſolvendam majori ſane vi opus fore non dubitabimus, quam tamen corruptam in Ægro ſignificabat ſuperficies *lardacea* & *craſſacea*, ut obſervatur in pluribus Ægris, aucto ſeu diminuto ſanguinis motu humorumque attritu. Satis jam mente volviſſe videbatur mihi, quæ

(a) *De Inſenſib. Perſpirat. Aphoriſm.* 398.

quæ lucubrari poterant circa Remedia ab Julianio præſcripta, lucubrandum amplius ad medicamenta cœterorum Ordo jubebat; Cataplaſma itaque ex farinis ſeminum cum lacte decoctis calide applicaretur Stebelium præſcripſiſſe legi, non ut foverentur partes, ſed ut putredo ab eodem cognita hoc pulmento ſolveretur & tolleretur, ut fieri ſolet in abſceſſibus cutaneis, in quibus indicatur materiem attenuandam & fibras emolliendas ut ſuppuretur tumor; Sed putreſcente liene aliove viſcere interno, non ſatis farinæ coquetur ad putredinem tollendam; ad quam arcendam pillulas deſcripſiſſe colligo ex Therebinto, Gummatibus, & Extractis, additis ſpeciebus aliis ex radicibus, herbis & floribus, ut inſerirent pro leni decocto ſeu Infuſo; Hæc quidem medicamenta diligenti quodam & delicato pharmacorum ſcrutatore nocua magis quam proficua dicerentur; mihi autem videbatur nec juvare nec nocere potuiſſe, habita ad materiam medicam & doſim ratione: nocuiſſe hercle cenſebam ſatis; meliora ab Julianio propoſita, rejecta ab aliis medicamenta, eo quod meliora nullo modo propoſita fuerint, qualiſcumque eſſet morbus; noxam inde afferre potuiſſe videbatur mihi, Tinctura Aloetica cum Balſamo Sulphuris ad guttas XXX. pro Doſi tempore Veſpertino ſumenda aliquot vicibus, ut deſumitur ex præſcriptione a Pharmacopæo reddita, quippe liquores ſpirituoſi facili via ſe immiſcentes humorali maſſæ, cohærentiam fibrarum noſtrarum ſenſim adaugere valent juxta doctrinam Gorteri, (a) adaucta inde cohærentia, rigidæ eædem redditæ, exſiccatæque ipſa ri-

pag. 8. *lin.* 6.

pag. 8. *lin.* 16.

pag. 9. *lin.* 1.

pag. 9. *lin.* 22.

(a) *Med. Comp. de firmarum partium nexu* §. 12.

giditate frangi & diſrumpi facillime poſſunt ut explicatur in theoria fibrarum Svietenio (*a*) diſruptis inde fibris eheu quot mala oriri ſoleant, docebunt docti verè Medici; hoc autem præcipuè loco legenda nobis foret Epiſtola Cajetani Paſcalii ad Bertinum Medicum Florentinum (*b*), in qua deſcribitur ex diſſectione cadaveris natura morbi cujuſdam inflammatorii, quo affectus fuerat Marcus Phainus Vir potui ſpirituoſorum deditus.

pag. 11. *lin.* 6. Quid nunc dicendum de Tinctura Rhabarbarina cum ſanguine Cicorei propinata, *perſiſtente dolore, continuis vigiliis, & febre acuta, quæ vix unquam remittebat*, colligere quiſque Medicorum poterit, qui morbo hæc conjuncta perpenderit mala, ita ut ſtimulum non augendum, acri medicina, etſi levi ſtimulo urgeant fortè Rhabarbarina pharmaca) ſed emolliendas fibras, ſanguinis motum reprimendum conſulere coactus fuerit; tempus jam dilapſum eſt, quo materia ulceris de Pulmone, & Pus ex eodem eliminari poſſit, actum fuiſſe de Ægro jam conſtat. Sed ſatis hæc! diutius enim ſuper his immorari, vix dignum videbatur lucubratione anicularum.

FINIS

(a) *In Comment. Aphoriſm. Boerhav.* §. 32. *& ſeq.* (b) *Edita eſt Florentiæ anno MDCCXLIV.*

35

ERRATA CORRIGE.

Expoſit. Julianeæ pluribus locis loco *ſignetur* quod in MS. per notam compendiarum *ſig.* ſcriptum erat. *Sigill.* perperam ſcribitur. Videatur *pag.* 4. *lin.* 23. *pag.* 6. *lin.* 9. *pag.* 8. *lin.* 30. *pag.* 9. *lin.* 14. & 20. *pag.* 11. *lin.* 8.

NB. *In ſupplici Epiſtola ad Excell. Illuſtriſs. & Sapientiſs. D. D. pag.* 2. *lin.* 10. *ſcribitur* vindicatis *quo loco ſcripſerat Auctor* vidimatis *termino videlicet Juridico, ut indicaret præſcripta in pharmacopœa, exſcripta fuiſſe collato & viſo Autographo Schædarum.*

Lucubr. *pag.* 20. *lin.* 16. 17.	Illuſtrem	Illuſtriſſimum
pag. 22. *lin.* 12.	vitio	vitio,
pag. 23. *lin.* 6.	fortè	fortè,
pag. 23. *lin.* 6.	exclamabit quis	exclamabit quis,
pag. 23. *lin.* 8.	petit	petat.
pag. 23. *lin.* 8.	ob	ab
pag. 23. *lin.* 10.	iuniori	Juniore
pag. 23. *lin.* 24.	Eglophie	Eglophj
pag. 24. *lin.* 3.	ſuperficies	ſuperficie
pag. 24. *lin.* 28.	verè	neve
pag. 25. *lin.* 7.	ſemper	ſemper,

NB. JULIANII *nomen in pluribus locis perperam ſcriptum; cum ſe* JULIANUM *Latinè, Italicè* GIULIANI *ſcribere, notet Auther.*

Digitized by Google



Digitized by Google